e-codices

nec sterilitatem creent, vt alius in Sicilia, nec tam calidi in
nocte vt tangi non possit, nec tam frigidi de die vt bibi
non valeant, quemadmodum duo creduntur existere apud
Garamantas; sed planè è diverso, tam suaves, tam limpidi
puriq; et temperati, vt nemini stomachum moveant, alliciant
omnes, debilitatos restaurent, miseros alleuent, tribula,
tionum, adversitatumq; amaritudine perfusos dulcore suo
exhilarent. Ægyptianq; potius imitentur scaturiginem in
qua accensa extinguuntur, et extincta accenduntur, sic vt
et in his extinguantur vitiorum incendia, et accendantur
virtutum ~~in~~desideria, auferantur indumenta tenebrarum, et
induantur arma lucis. O vtinam his applicaremur vberibus
vtinam ex istis daretur bibere fontibus, vel guttula sufficeret.
De ventre denique Benedicto, qui Deum incomprehensibilem
in se comprehendit, quid dicam? O vterum coelo capacio,
rem, Empyreo illustriorem, Paradyso fragrantiorem annon
verè pulcher venter Christe qui te portavit? imo pulcherrimus,
quia intactus, illibatus, immaculatus, nil libidinis sentiens
in conceptione, nil gravitatis in gestatione, nil doloris in
partu. O vterum admirabilem, o thalamum sanctissimum, in
quo connubium naturæ divinæ cum humana peractum!
Vrnam auream in qua manna coeleste collectum est, et con,
servatum! Hortum conclusum in quo aromata divinum o,
dorem spirantia crevere, et in totum orbem odorem suum diffun,
dere! An non iam tota pulchra est triumphatrix nostra

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 20r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/20r)